



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Homili-||arvm Sive Sermo-||num doctissimi uiri loh. Eckij
ad-||uersum quoscunq[ue] nostri || temporis hæreticos,||
super Euangelia || de tempore || ... Tomvs ...**

... à Pascha usque || ad Aduentum,|| ...

Eck, Johannes

1534

VD16 E 292

Dom. XIII. post pen. Euan. Beati oculi qui uident. Luc. 10 Homiliæ tres.
Secunda homilia est de dilectione proximi

urn:nbn:de:hbz:466:1-35259

am se quisque participem faciat, ut hic abundanter gratiam a deo accipiat, gloriam illic huberius recepturus eternam. A M E N.

DOMINICA XIII.

POST FESTVM PENTECOS.

Euangelium Lucae X.



IN illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Beati oculi qui uident quae uos uidetis. Dico enim uobis quod multi prophetae & reges uoluerunt uidere quae uos uidetis, & non uiderunt: & audire quae auditis, & non audierunt. Et ecce quidam legisperitus surrexit, tentans illum & dicens: Magister, quid faciendo uitam eternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens, dixit: Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut te ipsum. Dixitque illi, Recte respondisti. hoc fac, & uiues. Ille autem uolens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Suspiciens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in

Iericho, & incidit in latrones, qui etiam despoli-
 auerunt eum, & plagis impositis abierunt, semi-
 uiuo relicto. **A**ccidit autem ut sacerdos qdam
 descenderet eadem uia, & uiso illo, præteriiuit.
Similiter & **L**euita, cum esset secus locum, & ui-
 deret eum, pertransijt. **S**amaritanus autem qui-
 dā iter faciens, uenit secus eū; & uidens eum, mi-
 sericordia motus est, & appropiās, alligauit uul-
 nera eius, infundens oleum & uinum: & impo-
 nens illum in iumentum suum, duxit in stabulū,
 & curam eius egit. **E**t altera die protulit duos de-
 narios, & dedit stabulario, & ait: **C**uram illius ha-
 pe, & quodcunque supererogaueris, ego cum
 rediero, reddā tibi. **Q**uis horum trium uidetur
 tibi proximus fuisse illi qui incidit in latrones?
At ille dixit: **Q**ui fecit misericordiam in illum.
Et ait illi Iesus: **V**ade, & tu fac similiter.

HOMILIA I.

Ad prime salutaris euāgelij huius doctrina est, ple-
 nāq; optimorum præceptorū, nam innumera in
 ea Christianæ fidei capita continentur, nimirum
 de salute noui testamenti, de dilectione dei & proximi. **I**n **M**atth. 22
 his præceptis tota lex pendet ac prophetæ. Præterea quō
 misericordiam impartiri debeamus, deinde quō dominus
 seipsum in persona Samaritani indicauerit. atq; ut breui-
 ter ad euāgelij contextū perueniam, cum **C**hristus dicit,
Confiteor tibi dñe, pater cæli & terræ, qm̄ hæc abscondisti **L**uce. 10.
 à paruulis, dubitare q̄s posset, quid tādē paruuli isti sibi ue-
 lint, sed hoc ipse declarat, cū conuertēs se ad discipulos su-
 os, inq̄: **B**eati sunt oculi qui uidēt, quæ uos uidetis. **D**ices
 uerba hæc nō satis intelligo, qui fieri possit ut discipuli be-
 ati uocētur, qm̄ nō dū uita functi sunt, neq; à pctis liberati.

Sciendum est, dominum hic significare æternam beatitudinem, ubi electi diuinam maiestatem perpetuo conspiciunt. Verum eam intelligi uult, qua homo uirtute & probitate in uita hac uitam æternam meretur, non qua præmia impiorum, Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum resecta sunt peccata. Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. Ita hic quoque Christus uocat beatos, non quia gloriam uitamque æternam possiderent, sed ut fide sua beata & sancta eam promererentur.

Psalm. 1. 33
240.

Beda.

Beati oculi qui uident quæ uos uidetis, non oculi pharisæorum & scribarum, ut ait Beda, qui solum corpus domini uiderunt. Sed illi oculi beati sunt, qui sacramenta eius & arcana cognouere, de quibus dominus antea mentionem fecerat, & aperuisti ea paruulis. Beati oculi paruulorum, quibus filium teipsum & patrem manifestauit, ut ita non tantum apostoli beati sint, sed omnes illi, qui oculis fidei dominum in carne ambulante uident, & miracula operantem. Prætereo nunc, quod quidam hic præstantur de natura oculi, de pulchritudine & elegancia eius, de lumine suo, quo lumen quoque cerni queat, de mobilitate. potest enim nunc sursum, nunc deorsum, nunc in has, nunc in illas partes pro arbitrio rotari. de rotunditate, de nigredine in oculo, quo quis uideret. Hæc omnia indicia sunt cælestis proprietatis, sicut ad longum hic pertractari posset. Tu autem ipse per symbola discurre quam uoles amplissime, quia facile est. Quare Christus hic mentionem facit oculorum, ut illis significaret rationem & intellectum humanum. est enim pars cælestis in homine.

Theoph.

Natura
oculi.

Ita in Canticis suis Salomon inquit, Oculi tui columbarum. Idcirco apud prophetam Iezechielem & apud Iohannem reperiuntur animalia plena oculis, sicut Iacob de Iuda dicit. Pulchriores sunt oculi tui uino. & tota scriptura hæc de re plena est. Ita hic quoque loquitur dominus: Beati sunt oculi, qui uident quæ uos uidetis, Beati qui me extrinsecus ita respiciunt, ut intrinsicè meam diuinitatem ab externis miraculis credant; uel qui ita intelligunt diuinitatem meam, ut credant unam esse cum humanitate illa quæ cernitur. hoc apostoli fecerunt, sicut Iohannes inquit, de

Cant. 1

Iezech. 1
Apoc. 4. 6

Ita in Canticis suis Salomon inquit, Oculi tui columbarum. Idcirco apud prophetam Iezechielem & apud Iohannem reperiuntur animalia plena oculis, sicut Iacob de Iuda dicit. Pulchriores sunt oculi tui uino. & tota scriptura hæc de re plena est. Ita hic quoque loquitur dominus: Beati sunt oculi, qui uident quæ uos uidetis, Beati qui me extrinsecus ita respiciunt, ut intrinsicè meam diuinitatem ab externis miraculis credant; uel qui ita intelligunt diuinitatem meam, ut credant unam esse cum humanitate illa quæ cernitur. hoc apostoli fecerunt, sicut Iohannes inquit, de

uero uita, quod nos uidimus, quod audiimus, manibus
palpauimus.

Secundo confirmat apostolorum beatitudinem per
comparationem, cum inquit: Dico uobis quod multi prophe-
to & reges uoluerunt uidere quae uos uidetis. Dices, quan-
do Christus ait ad Iudaeos, **Abraam** exultauit ut uideret
diem meum, uidit & gauisus est, quomodo igitur hic di-
cit, reges ac prophetae non uiderunt: responderet **Beda**, Ve-
rum est, quod **Abraam**, **Isaias**, **Micheas** & multi alij in ueteri
testamento, uiderunt gloriam dei, & non uidentes appel-
lati sunt, sicut seruus ad **Saulum** loquitur, sed hi omnes a
longe aspicientes Iesum, per speculum & in aenigmate ui-
derunt, apostoli autem uiderunt Iesum coram, comede-
runt cum illo, & quicquid uoluerunt, hoc interrogantes
ab illo didicerunt, non enim necesse erat illis per ange-
los doceri aut uisiones, quae madmodum patriarchae ac p-
phetae fecere. Itaque **Chrysostomus** inquit: Apostoli uide-
runt aduentum Christi, praesentiam, uocem, miracula pre-
dicationes, quod negatum erat prophetis & regibus, cupi-
erunt quidem, ac non uiderunt, quare apostoli praestan-
tiores beatioreseque sunt prophetis illis ac patriarchis. Qua-
diu senex ille **Simeon** multum suspirando desiderabat ad-
uentum Christi? Qui tandem responsum acceperat a spi-
ritu sancto, non uisurum se mortem nisi prius uideret
Messiam dñi: hoc est, quod desiderarunt omnes prophe-
tae, uerum haec gratia illis non est concessa sicut **Simeoni**,
quamobrem tristes descenderunt in limbum. **Nisdem** quo-
que uerbis utitur episcopus **Roffensis** contra **Oecolam**-
padium, qui ad ignominiam euangelij & sanctae nostrae
fidei, dixit nouum testamentum nihilo ueteri melius p-
stantiusue esse, neque etiam plus concedi gratiae per sacra-
menta nunc, quam in ueteri testamento. Hoc falsum & er-
roneum omnino est. plana enim & aperta sunt uerba
Christi, apostolos beatioreseque prophetis & patriarchis,
quod uiderunt & audierunt ea quae prophetae non potu-
erunt. Alia quoque multa restant, quorum nomine praestan-
tius est euangelium ueteri testamento: quia neminem ad
perfectionem perduxit lex, sicut euangelium facit. Ad **Hebraeos**
haec, sacramenta ecclesiae multis modis superant sacramē

Johan. 3

Beda.

Isai. 6

1. Reg. 9

Matth. 13

Chrysost.

Luc. 2

Episcopus

Roff.

Ad Hebr.

ta synagoga, sicut & sacrificium Christianorum excellentius est sacrificijs Iudeorum, qui tantum vitulos offerebant, oues & boues, nos autem Christiani uerum Christi corpus offerimus in sacrificio missae. Sacramenta Iudeorum respiciebant Christum uenturum, nostra etiam salutem praebent & gratiam. In ueteri testamento umbra tantum erat futurorum, euangelium autem umbrae & figurae ueritatem continet.

Hebr. 10.

Johan. 1

Johan. 16

Matt. 9. 11.

Bala. 4

Johan. 1

1. Cor. 10

Jeremi. 31

Num. 24

Quid multa? lex per Moysen data est, gratia & ueritas per Iesum Christum facta est. Quid quod ecclesia spiritu sancto consolatore gaudet & gubernatore, iuxta promissionem Christi ecclesiae suae iam olim datae? atqui illo iam olim caruit synagoga semper. Ecclesia quae praesentem saeculum habet Christum, quae synagoga non habuit, dicente domino: Ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi. Atqui non ignorauit id ipsum Paulus, cum diceret: Quando uenit plenitudo temporis, misit deus filium suum. Antea enim nulla adhuc fuerat temporis plenitudo, donec ueniret Christus, ex cuius plenitudine omnes accepimus. Atque huiusmodi quaedam alia respicientes, erubescat Christianus, qui impudenti suo ore ecclesiam conatur aequare synagoga, quod neochristiani facere tentant. Nam cum ueteribus omnia contingebant in figura, quomodo obsecro ea fuerint perfectione, qua nunc Christiani uiuunt & gaudent? neque mirum, siquidem in figurae ueritatem obtinent & foedus nouum, nouum dico testamentum illud, quod olim daturum se dominus promisit, diuersum ab eo quod ante habuerat cum Iudeis, id ipsum quoque ex euangelio discere possumus, quando sacerdos legalis & leuita Mosaicus praeteribat uulneratum seminiuum, solus autem Samaritanus qui Christum repraesentabat & sacerdotum euangelicum, adiuuit saucium. De quo infra.

¶ Cum autem iam felicitatem discipulorum praedicasset dominus, quam etiam reges & prophetae adsecuti non fuerant, quod & Balaam praedixerat, de Christi natiuitate loquens, Heu quis uicturus est quoniam ista faciet deus? Audiens porro haec omnia quidam legisperitus, ex omnibus unus ipse super rexit singulari fastu inflatus, & multum dolose de merito salutis suae interrogauit dominum, dicens: Magister, quid faciendo uitam aeternam possidebo? Unde autem questio haec superbo legis-

petitio nunc subierit in mentē, declarat Beda, occasione Beda
 eū sumpsisse putans tentādi ex ipsis dñi sermonib⁹, cū di-
 xit: Gaudete, quia nomina uestra scripta sunt in cælis.
 Quamuis sunt qui uolunt quod sicut in ueteri testamen-
 to omnis promissio ad temporalia bona, uitam mundi
 huius, pacem & sanitatem uergebat, ita uniuersa **CHRI**
STI doctrina uitam promittebat æternam, ut merito dice **Matt. 3. 10**
 re poterat: Ecce iam appropinquat regnum cælorum.
 Magnus itaq; iam & præclarus iste doctōr in eodem ten-
 tare dominum uoluit, ratus eum aliquid dicturum contra
 riū legi. Verum interim iste sua tentatione uerū esse com-
 probauit illud domini dictum: Pater, abscondisti hæc a sa-
 pientibus & prudentibus, reuelasti autē ea paruulis.

¶ Magister, inquit, **CHRISTVM** magistrum prædi-
 cat, cuius nolebat esse discipulus, sicut etiam apud Mar- **Chrysostr.**
 thæum fecerunt, dicentes: Scimus quia uerax es, & ui-
 am dei in ueritate doces. Magister, ait, quid faciendo ui-
 tam æternam possidebo? Ecce legisperitus ille tamē plus **Matt. 23**
 intelligebat, quā nostrates neochristiani. nōrat enim
 non dari regnum cælorum ignauis istis fucis & pigris,
 sed aliquid pro eo laborandum esse, quum interim bellu-
 liisti neochristiani neque orare quicquam uolunt, nec
 ieiunare. omnia contemnunt opera bona, uolentes nu-
 da & infirmi fide irrumpere, dum clament tantum do-
 mine domine. Diuersum ab ijs quæ fuit iste legis peritus,
 dicens: Quid faciendo uitam æternam possidebo? Sic in-
 telligebant illud etiam Iudæi, cum interrogarent domi-
 nū, Quid faciemus, ut operemur opa dei? Volunt quidam **Johan. 5.**
 ideo hic interrogasse legisperitum seu scribam hūc, quo-
 niam quum uariæ erant apud Iudæos sectæ, Essæorum,
 Saducæorum & Phariseorum, magna erat apud eos quæ-
 stio, quænam iustitia magis placeret deo. Quo nomine in-
 terrogauit iste, qd tandem faciendo uitā possideret æter-
 nā, nō quæsiuit qd credere, sed qd operari debeat.

¶ Inquisitionē hanc legisperiti refutare uolens domi-
 nus, adgredit̄ iam id facere ex proprijs ipsius uerbis, dicens:
 Quid scriptū est in lege? quomodo legis? quasi diceret id **Matt. 23.**
 ipm qd alibi dixit, E uerbis tuis iustificaberis, & e uerbis
 tuis condemnaberis. Interrogat eū rursus dñs in lege qd **Ambrosi⁹**
 sit scriptū, sciēs ipm ex eoꝝ eē numero, qd yba legis tenēt,

sed vim legis ignorant. Vere enim exiguum quid est, si nos nostrisq; similes multa bona nouimus, neq; facimus ea. Quid scriptum est in lege? At qua ratione poterat summa dei sapientia tam fraudulentæ interrogationi occurrere prudentius? quoniam quocunq; modo diuerso respōdisset dominus, semper ille suspectus alteri sectæ fuisset, recte itaq; legisperitum ad legem suam relegauit, quæ a deo lata fuit, sicuti concorditer omnes etiam trium sectarum Iudæi sentiebant. Ideoq; illam Christi de lege responsionem, cauillari nullo modo poterant.

¶ Cæterum qui in ecclesia docet magister, sollicitè adcurrere debet, ut quicquid illi interrogationū occurrerit subinde, in omnibus ijs ad scripturas confugiat, docente Isaia: Nonne populus requiret à deo uisionem super uiuos & mortuos? Magis ad legem & testimonium currendum est, quàm ad idololatrias & ueneficos, aut uanas hominū suspiciones. ideo enim lex data est, iuxta illud Sapientis, Legem mandauit Moyses in præceptis iustitiarum, & hæc reditatem domui Iacob & Israel promissiones, Age igitur quando hæc in lege comprehensa sunt omnia, dic, in lege quid est scriptum? Volunt nonnulli hic dominum prima interrogatione quærere uoluisse de litera, & altera cum diceret Quomodo legis? demum interrogasse de intellectu. Vnde multi aberrant, seque dant turpissime in lectione scripturarum, sicuti nunc quoque pro nimium sit inter simplices istos, sed o quàm fastuosos neochristianos.

¶ Ideo quoq; illud fecisse creditur dominus, quod alias soliti illi fuerant traditiones hominum adripere contra legem dei constitutas, & sic iustitiam quærere admodum angustam. Quomodo eos Paulus asserit ignorare iustitiã dei, & suam propriam uelle adstruere, atq; idcirco iustitię dei non esse subiectos. Et tamen ueram illi uiam commōstrat dominus, de lege quærens & quomodo legeret. quoniam deduxit dominus iustum per uias rectas, & ostendit illi regnum dei. Bene utiq; & recte fecit dominus huic legisperito, qui quum magistrum ipsum cōfessus erat, dominus quoq; uelut magistrum se professus, discipulum suum de lectione, quod aiunt, data interrogauit, Quid scriptum est, inquit, quomodo legis? Ita nimirū uiuere oportet

Isaig. 7.

Eccle. 4

Matth. 23

Roma. 10

Sapient. 10

ter præceptorem cum discipulis, ita illum eorum studia & ingenta experiri addecet. Quamuis etiam eo fecisse credi potest dominus, quod ille ex eorum numero fuerat, qui ex solo libro & uerbis tantum docerent, quiq; (ut ait dominus) dicerent solum & nihil facerent, cum tñ doctrina **Matth. 23** operis & exēpli boni nō raro utilior sit & efficacior quā uerbi tantum. Sed hic nimirum optimus erat, de quo dixit dominus: Quoniā qui sic fecerit & docuerit, magnus uocabitur in regno cælorum.

¶ Deus optimus maximus gratiam nobis suam largiatur, quatenus nos mandata sua sancta non tantum auribus audiamus, oreq; legamus, sed & opere impleamus, post hanc uitam illam possessuri æternam Amen.

HOMILIA SECUNDA DOMINICÆ XIII. à ferijs pentecostes.

Interrogauit dominum scriba, quid facere deberet, ut uitam possideret æternam, rursusq; ex eo quæsiuit dominus, in lege quid scriptum esset & quomodo legeret, qui respondit, **Diliges dominum deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus uiribus tuis, atq; proximum tuum sicut teipsum.** Et hic quidem scriba iste non turpiter se dedit, dñi qd in lege summum est, tenere se declarauit. nanq; & dñs ei uerbum hoc cōfirmauit, ipsumq; adeo recte respondisse testatus est. Multa de hoc maximo dilectionis dei & proximi præcepto dici deberent, sed quia idem nobis tractādum occurret infra dominica decima nona, lubet idipsum in eum locū differre. **Tantum, qd hic locus offert, admonēdi mihi estis charissimi mi, etiam in ueteri lege mandatum hoc fuisse, ut in Deuteronomio legitur, quis ibi tres tantum formæ dantur, Deute. 6** hic etiam quarta additur, sicut infra dicemus. **Quod autē ad dilectionem proximi, de qua hic agitur, spectat, consistare uobis principio debet, non hic agi de proximo ex sanguinis coniunctione, quam natura suadet & præscribit, sed de proximo scilicet quolibet homine. siquidē omnes homines ex uno parente Adam descendunt in terra, & ex una parte de cælis qui omnes nos creauit, & ani-**

MM

- mam nobis indidit rationis capacem, iuxta illud propheticum, Nunquid non pater unus omnium nostrum? nunquid non deus unus creauit nos? Sic, sic inquam quilibet homo hominem alium suum reputet, sciatur esse proximum. Scriba autem iste dum hæc duo mandata hic conuicit, recte fecit. siquidem & in ueteri testamento quod scriptum est de dilectione dei libro quinto, idem in tertio de charitate habetur proximi, ubi dicit dominus, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. (Hebraice lereacha, id est, ad socium tuum. Septuaginta uerterunt plision, hoc est, proximum, & sic legitur hic & Mathæi 22)
- Malach. 2** ¶ Datur etiam alia adhuc ratio dilectionis proximi. quia enim quilibet homo factus est ad imaginem dei, ideo sicut rex honoratur & colitur in imagine sua, ita deus in homine qui imaginem suam gerit: quoniam diligere neminem potest deus, qui imaginem suam hominem, odio prosequitur, id ipsum attestante Iohanne cum ait: Qui dicit se diligere deum, & fratrem suum odio habet, mendax est. Cohærent itaque & coniuncta sunt hæc præcepta duo, estque hæc immensa dei miseratio & benignitas, quæ tanti facit hominem, ut ipse etiam sine eo nolite diligere. O te infelicem & miserum peccatorem, quid agis? cur adeo nihili facis dilectionem dei, quam leuiter adeo amittis? idcirco ob amoris alicuius uilis creaturæ, breue desiderium, ac uoluptatulam momentaneam, sicut Eua ob unius pomi morsum, neque cogitas quæti te deus faciat, adeo ut sine te nolite diligere.
- Gene. 1** ¶ Atque hæc ipsa causa est, quæ Paulus dilectionis tamen proximi meminit, cum ait legem totam hoc uno impleri, Diliges proximum tuum sicut te ipsum. & iterum, Qui diligit proximum, legem impleuit. plenitudo enim legis est dilectio.
- 1. Joh. 4** & rursus, finis legis est charitas. Cum itaque hic & apud Matthæum præcepta duo ponantur, & Paulus unicum tantum connumerat, non est quod suspiceris aliquid hic esse aduersum alteri, quoniam in dilectione dei proximi etiam charitas includitur. atque ideo Iohannes dicit nos illud præceptum habere à deo, ut qui diligit deum, etiam proximum suum diligat.
- 2.** ¶ Quando dicitur, diliges proximum tuum sicut te ipsum, attendendum est illud quod adnexum est, sicut te ipsum, non enim dixit quantum, sed sicut te ipsum. Quoniam

am licet proximum meū diligere debeo sicut me ipsum,
 tamen & possum & debeo me plus diligere, siquidem cū
 ordinate fieri omnia debeant inter nos, ordinate etiam **1. Corin.**
 decet ipsam inter nos esse charitatem, ita ut quis deum su-
 per omnia diligat, dehinc animam proximi sui, sicut ex
 ponit Ambrosius & Augustinus, ipsaq; adeo de se testat **Lib. 1. de**
 sponsa, dicens: Ordinavit in me charitatem, quoniam & sa- **doc. Chel.**
 piens ait: Qui sibi malus, cui bonus? Augustinus explicans **cap. 1**
 hæc uerba, Date eleemosinam, & omnia munda erunt uo- **Cant. 2**
 bis, inquit: Quicumq; ordinate dare uult eleemosynam, **Eccl. 4**
 quo incipiat à seipso, sibiq; primum det eleemosynam,
 quoniam uere dictū est illud, Misere animæ tuæ ut place-
 as deo. Quando itaq; optimum ipse mihi debeo, meq; ma-
 xime diligere teneor post deum, sequitur non plane equa-
 lem esse dilectionem hominis erga proximum & seipsum,
 sed maiorem erga se, sicq; recto sensu intelligere debem⁹
 illud quod dixit dominus, diliges proximum tuum sicut
 teipsum. (quia sicut, hic non est nota æqualitatis aut per-
 fectæ similitudinis, sed potius ordinis, uel est similitudo
 in obiecto, nō in actu) Quum igitur teneris diligere pro-
 ximum tuum sicut teipsum, intelligi principio potest de
 uera illa dilectione, qua etiā te diligis, ut eadem etiam a-
 mes proximum tuū. Deinde quilibet diligere debet pro-
 ximum suum sicut seipsum, quia ad idem illud bonum, ad
 quod se diligit. Atq; hoc sic accipe: Unusquisque qui se re-
 cte diligit, ipse sibi bene uult, cupitq; se uera uia & rectissi-
 ma pergere ad felicitatem æternam. Recta autem & regia
 ad uitam uia, est ipsa iustitia & obseruatio mādatorū dei,
 teste Dauid, quum ait: Domine, in sancto uia tua. & bea **Psalm. 96**
 ti immaculari in uia, qui ambulant in lege domini. Sic er- **212.**
 go quilibet cupiat omnes homines unā secum ingredi ui-
 am hanc, & in hoc quisq; diligat proximum suum sicut se-
 ipsum. Quoniam si quis se aliter diligeret, is uere se nō di-
 ligeret. siquidem qui diligit iniquitatem, odit animam su-
 am. Itaq; quisquis gaudet eo ipso quod proximus suus pec-
 cat, etq; in illo adplaudit, laudat eum & adiuuat in illo, ni **Psalm. 10**
 hil minus quā diligit eum, sicuti nec seipsum. tantum
 enim honestas & probitas laudanda in homine est. Cer-
 tum hoc est, quod quicumq; in proximo suo probitatē nō

Psalm. 51 diligit, iamã repulsus à deo est, iuxta illud **Davidis**, **Quid gloriaris in malitia q potens es in iniquitate? Tota die in iustitiam cogitavit lingua tua, sicut nouacula acuta fecistis dolum, Dilexisti malitiam super benignitatẽ, iniquitatem magis loqui quã æquitatem, Dilexisti omnia uerba præcipitationis lingua dolosa, Propterea deus destruet te in finem & uellet te &c.** Ecce quã manifeste hic cõnis, amicitiam quã nunc in mundo contrahitur & inter homines seculi huius uersatur, ueram dilectionem non esse, sed potius perditionẽ, siquidem plurimum qui in mũdo habetur amor, ex peccato & in peccato fit siue contrahitur.

3. ¶ **Ratione finis** quõq; quilibet diligere debet proximum suum sicut seipsum, hoc est, ut ad eundem finem pertingat ille quem ipse appetit, ideõq; tunc quis proximum suum diligit sicut seipsum, quando eidẽ etiam uitã optat æternam, sic **Paulus** cupiebat dissolui & esse cõ **Christo**, atq; merito dissolui inquit, qm hoc mori quidẽ est, at non omne, sed hominis, quia mors hominis est animæ & corporis dissolutio. **Petijt** ille hoc sibi, & idem precatus est aliis quõq; omnemq; plenitudinem per quam ueniret ad **Christum**, sic. n. optauit ille oẽs homines esse, sicut ipse erat. Et quisquis proximo suo cælum non fauet, nõrit se charitatem fraternam non habere. (quomodo autem sancti in patria ratione obiecti etiam plus diligant sanctiores se ipsis, quia uolunt eis maiorem beatitudinem, quõ item **Moyse** petijt se deleri de libro uitæ, & **Paulus** anathema esse pro fratribus, scholis relinquo.)

3. ¶ **Ex ijs iam constat**, q quotiescunq; præcipitur, ut quis diligit proximum suum sicut seipsum, nullam hic g turbationem cõstitui, neq; ordinem naturæ discindi, sic ut enim mihi ipse charior sum q proximo meo mihi, ita magis diligo parentes, fratres, patruos, auunculos quã alienos. Et en eius rei signũ tibi. **Et si præceperat deus oẽs homines diligi debere, id ipsum tamen adhuc peculiariter mandauit de quibusdam, ut de parentibus, quos præcipue diligere debemus, colere & reuereri, sic Paulus, Dum erant pus, inquit, habemus, operemur bonum ad omnes, maxime uero ad domesticos fidei, & alibi, Si quis suos, maxime**

Exodi. 20

Sala. 6.

i. Tim. 5

me familiam suam non curat, fidem negauit. Sicut ergo quis prospicere & prouidere debet suis, ita eosdem etiam magis teneret diligere. Pius pater liberis suis relinquat uictum decentem, sed ex bonis non mala conscientia acquisitis. At quæ sit in istis uel minimæ charitatis fauilla, qui ubi omnia sua decoxerint turpiter, liberis suis nihil relinquentes, clamant tantum, Si quid habere uolēt, querant, dispiciant unde uiuant? Inique sane & improbe, quæ ex sententiâ Pauli non liberi parentibus, sed parentes illis thesauros debent colligere: ita quisque patrem matre chariorem habere debet, auctore Hieronymo. Et quamuis utrumque parentem quis relinquit adhæret uxori suæ, parentes tamen uxore cõuenit illi esse chariores. & si usus ferat atque necessitas, potius iuuare parentem quam uxorem. **No-**luit ergo etiam Paulus dicere, ut maritus uxorem diligat sicut seipsum, sed ut corpus suum. In hoc itaque casu gratia non destruit naturam, sed perficit: neque male faciunt qui amicos cognatosque suos adiuuant, quibus plus debent quam cuique alieno. Quomodo autem teneamur diligere amicos & illis bene facere, & an quis plus debeat diligere amicum malum quam alienum bonum, num etiam quis magis amare filium possit quam fratrem, & huiusmodi innumera, scholis relinquo, ut habeant quod rixentur. Tamen si cui simplicium tale quid occurrerit, doctorum utatur consiliis.

4. ¶ Quum iam adeo prudenter respondisset scriba, subiicit dominus: Recte respondisti, hoc fac & uiues. Laudauit hic dominus responsum suum, non opus. forte enim uox bona, & opera nihili erant, sicut Isaac falsus in uoce Iacob, manus dicebat esse Esau, uocem Iacob, ideoque ad opus eum ablegauit, dicens: Hoc fac. Ecce quam omnino satis non est credere, nisi & facias, quoniam si quis perspexerit in lege perfectæ libertatis, & non auditor est obliuiosus, sed factor, hic beatus in facto suo erit. unde precipit etiam Iacobus: Estote factores uerbi, & non auditores tantum, fallentes uosmetipsos. Hoc fac, inquit dominus, & uiues. Satis non est Rabini te esse in lege doctum & doctorem magnificum, nisi accedat & opus. frustra est omnis profunda intelligentia, si desint opera bona, dicente Dauide: Intellectus bonus omnibus facientibus eum, lau-

1. Corin. 12

Hierony.
Iezec. 44

Ephes. 5

Gene. 27

Jacobi. 1

Psalm. 112

datio eius manet in seculum seculi. Hoc fac, mandata dei serua, & uiues, quoniam si uitam uoles ingredi, est quod serues mandata. Ecce obseruationem precepti, & quia implere opere quod mandatum est, uiuificat animam. At ubi interim latitant nostrates neochristiani, aut quid somniant, dum aduersus tam manifesta scripturae testimonia, aduersus ipsum spiritum dei, opera bona contemnunt, uoluntque ex sola uisere fide? Non uiuificat fides ista mortua, nuda & destituta omni splendore charitatis diuinae. sic. n.

Roma. 8 Paulus inquit, Si spiritu opera carnis mortificaueritis, uiuetis. Spiritus autem hic, spūs dilectionis est, dicente sponsa: Fortis ut mors dilectio. Spiritus uitae dilectio est, ut ait Paulus, Lex spūs uitae liberauit me à lege peccati & mortis.

Cant. 8
Roma. 8 ¶ Scriba porro iste de responso sibi applaudebat, uolens iam iustificare seipsum, unde & dixit: Quis autem est meo proximus? Ecce innocentem & iustum se simulat, ratum se coram hominibus tamen stare, qui hic deo astabat uero, cognoscere etiam occulta & abdita cordium. At nonne Rabinus egregius est? ignorat prima duo legis precepta, ignorat quod sibi sit proximus, nescit adhuc mysteria Christi, quae pater reuelauit paruulis. Aut si adhuc interrogauit dominum, quis suus sit proximus, & ante scierit illud, hypocrita fuit. Dominus autem responsum illi dedit ita temperatum, ut inde cognosceret, quemlibet qui alteri misericordiam exhibet, etiam proximum ei esse. Quamuis hac ipsa parabola discere poterat dominum Iesum deum per adsumptam carnem factum esse proximum nostrum, qui & misericordiam exhibuit nobis, sicut in sequenti homilia dicemus. Iustificare semet uolens coram hominibus, interrogauit quisnam sibi sit proximus. hic siquidem isti hominum generi mos erat perpetuus, coram mundo cupiebant haberi sanctuli, etiam si alias pessimi omnium forent, sicut alibi eos dominus seipsum pulchris comparat dealbatis, & discipulos praemonet ne faciant similiter, iubens attendere eos, ne faciant iustitiam suam coram hominibus, ut uideantur ab illis.

Matth. 23 ¶ Quod autem hac interrogatione iste iustificare uoluerit seipsum, sic intelligito, putabat enim dominum sibi respondurum, Iudaeos proximos esse suos, quod si factum esset, subiunxisset ipse, iustificaturus semet, Semper ego Iudae-

os dilexi. Erat autē hic maximus error Iudæorū, q̄d alios homines proximos suos non reputabant, sed ubicunque alienos fallere poterant & decipere, id ipsum summū ducebant gaudium, quod etiamnum strenue & fortiter faciunt, prætextum falsæ opinionis sumētes ex eo quod scriptum est. **Non scenerabis fratri tuo ad usuram pecuniā, nec fruges, nec quamlibet altam rem, sed alieno. fratri autem tuo absque usura id quo indiget, communicabis.** Hoc in hodiernum usque diem faciunt, usuram inter se mutuo nullam accipiunt, sed a Christianis quos alienos reputant, quum interim ipsi sint ab ecclesia & regno dei alienissimi, tantum usuræ accipiunt, ut plurimi pereant in anima & fortunis omnibus. Durum est quod dico, sed tamen periculum est, ne principes & optimates omnes, quæ Iudæorum sustinent usuram, in confæderatione sint damnationis æternæ. Dicitur nanque non potest, quantum malorum concilient inter homines usurā suā. taceo quod maximi interim sunt autores illis decoquendi, abligurienti, ludo, alea & scortis bona sua perdendi. nam ubi primum defectus argenti sentitur & penuria, ad Iudæum curritur, cuius potestati si quid bonorum alicuius pauperis fuit attributum semel, actum est, perierit ilico. Taceo quod Iudæi provincias omnes faciunt abundare furibus, qui quicquid furtivum attulerint eis, isti statim mercantur quā minimo. Graue & intolerabile foret tunc provinciæ, si quis nobilis aut comes latrones foueret & promoueret publicos atque prædones. sed minus tamen eos crediderim nocere, quā qui Iudæos tolerant usurarios tantos. Sed hæc aliās iam ueniamus ad reliqua. Interim orems dominum &c.

HOMILIA TERTIA SV-

per Euangelio eius,
dem Domi-
nice.

MM iij

Bene quidem responderat scriba iste domino de precepto, quod illi faciendum iniunxerat dominus, ut uitam possideret æternam. Verum cum nollet scire quis sibi esset proximus, parabola quadam hoc eum deinceps docuit dominus, quemlibet hominem alteri proximum esse. Antea tamen suspexit in cælum, commorus utiq; uel iniqua scribæ istius malignitate, uel potius renouata iam cogitatione super lapsu generis humani, qui in hac parabola designatur. Sic autem suspexit etiam dominus resuscitaturus Lazarum: quoniam & illic recogitabat immensam mortis angustiam, quæ per peccatum irrupit. Adiungit ergo parabola, uel secundum quosdam, historiam ueram, unde disceret hic scriba nos omnes unius esse nature, proximosp; censendos nõ ex operum dignitate, sed nihil persuasit hæc parabola Iudæis & cæteris, qui nulla ducuntur misericordia: Descendit, inquit, homo à Ierusalem in Iericho, homo hic Adam est, siquidem apud Hebræos Adā non primum tantum, sed quemlibet hominem significat, estq; nomen proprium simul & appellatiuum. in hoc Adam tota lapsa est natura humana, quod utraq; loci huius appellatio pulchre figurat. Ierusalem enim idem est quod uisio pacis, quamobrem & paradysum & regnũ potest significare cælorum. Iericho autem lunam designat, nostramq; in hoc mundo mortalitatem, in quam per peccatum Adæ prolapsi sumus: & in ea iam permutamur æternis uicibus ut luna, crescentes & decrecentes in uariis defectibus, erroribus, miserijs. Et merito eum descendisse ait euangelista, quia homo post peccatum humiliatus, totus est collapsus & demissus. neque id semel, etiamnum quoque descendit subinde & labitur magis in præceps secundum uitiatæ naturæ concupiscentiam, semper declinans ad ima. Quod autem Ierusalem ciuitatem sanctam significet, quæ in supernis est, mater omnium nostrum, satis nobis testatur Paulus ad Galatas. Et incidit in latrones, incidit inquam, nihil tale cogitans uel suspicatus. siquidem nemo uel peccatum uult præcipue, uel ad malũ respiciens operatur, sed quicquid tum uolumus tum appetimus aspectu boni, id omne fecimus. Quia autem bonum uarium sit & multiplex, sunt qui delectabile

Johan. xi.

Theoph.

Augustin.

Beda.

Theoph.

tantum aut utile bonum, non etiam honestum respiciunt,
& si quidem bonum mutabile suspiciunt, immutabili re-
lictio. nemo enim potest duobus dominis seruire, quod quæ
nesciuit **Eua**, uolens seruire deo simul & diabolo, perijt dñi
peccauit. quia uerissimum est illud Bernardi: Nemo simul
adherere potest ijs quæ supra nos sunt & quæ super ter-
ram sic nanq; malum etiam est in mundo per accidens tā-
tum, & non primaria intentione.

2. **Incidit** autem in latrones, latrones scilicet an-
gelos noctis & tenebrarum, qui non raro se transfigurāt
in angelos lucis, sed perseuerare non possunt. **Constans**
itaq; sententia est doctorum omnium, latrones hic dæmo-
nes intelligi, sicut pulchre **Augustinus**, **Beda** & **Theophy-
lactus** hic declarant, quamuis etiam alio sensu omnes qui
paruum innocentem seducunt, latrones dici & censerī
possunt. **Despoliāt** isti miserum & uulnerauerunt.
Quod eo refert **Augustinus**, quoniam dæmones miserū
despoliarunt hominem ornamento bonorum morum &
uirtutum. fauciarunt quoque adeo, ut non possit liberum
illius arbitrium amplius in bonum. **Amplissime** patet hic
intellectus extendens se ad materiā liberi arbitrii, de quo
aliās dicitur. **Augustinus** quoque in alio loco uult diabo-
lum despoliasse hominem sua immortalitate, & uulneraf-
se tunc, quum ei peccatum persuasit, & uires animæ suæ
per peccatum fauciuit. **Ambrosius** porro adserit despoli-
atum esse à diabolo hominem, dum eum denudauit ueste
gratiæ spiritalis, uulneratum quoque, quando recedens
ipse à lege dei & testamento fidei, fauciatus est, plus cre-
dens dæmoni quàm deo, dæmoni inquam, promittenti
eos non morituros, quamuis **Paulus** ait **Adam** non esse se-
ductum, sed **Eua** tantū in præuaricatione deceptam, ta-
men **Adam** quoq; utut diabolo non consenserit, **Eua** per
turbare noluit, sed magis illi quoq; morem gessit, neque
eam deserere uoluit, ratus deum non tantum supplicij ir-
rogaturum suo peccato. **Fere** etiam sic exponi solet, quod
diabolus hominem despoliauit gratia dei, & uulnerauit
in naturalibus suis uirtutibus, sicq; priuatus ille est dono
maximo, dum uestem innocentiae amisit & immortalita-
tem, sublimem quoq; illam scientiam, quam deus ei dede-

Matth. 6

Bernar.
Col. 3

Ambrosi.

Augustin.

Cōtra he-
lagianos.

q. Euan.

Ambrosi.

Gene. 3

1. Tim. 2

Beda.

Sene. 2

rat & magnam potētiā, ut ne uulneretur a quoq; ani-
malium, quorum regimen & uniuersale dominium simul
amisit, & iucundissimam illam paradisi inhabitationem,
magnamq; cælestis influxus benignitatem & clementiā
omnium elementorum, hæc simul omnia perdidit. Nūc
uicissim in peccato cum dolore maximo in lucem editur
homo. animalia ei omnia aduersantur & nocere cupiunt,
corpus habet æstibus, frigori, morbis & nescio quibus nō
iniurijs obnoxiiū, uiribus naturalibus plusquam ad mor-
tem saucius est, intellectum habens ita læsum, ut in prima
ætate nihil omnino ualeat, sed & adueniente iam rationis
usu necdum quicquam intelligit, nisi a sensibus emendi-
catum. nihil enim (inquiunt philosophi) est in intellectu,
quin prius fuerit in sensu. & usq; adeo quidem ille saucius
misere est, ut in ijs etiam quæ sunt naturæ manifesta, se ha-
beat ut oculus nycticoracis ad lumen solis.

Sene. 3

Roma. 7

Augustin.

Theoph.

Roma. 5

¶ Quomodo autem uolūtas nostra uulnerata sit, non-
ne etiam nimium & plus quam uelle mus experimur quot
die, qñ omnis cogitatio nostra ab adoleſcētia prona est in
malum? Sic, sic inquam uulneratus fuit & Paulus, cum di-
ceret: Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non
inuenio &c. Tandem uero abierunt ab illo semiuuo reli-
cto, quod quid sibi uelit, satis docet Augustinus, quoniam
quantum adhuc deum agnoscit homo & legē illius requi-
rit, tantum uiuit: quantum autem a peccatis opprimitur,
mortuus est. Ac proinde ille etiā Pelagiū refert iacuisse se
miuiuum, nec potuisse a semetipso resurgere. siquidē non
potest liberum hominis arbitrium a se solo erigi, nisi ali-
unde adiuuetur per gratiam dei, quæ pedes illi cōfir-
mat & consolidat. Theophylactus hominem semiuuuum re-
putat, eo quod aspiciens originem suam primum illum
Adam, nil nisi mortem uidet & peccatum. siquidem hoc
per unum hominem intrauit in mundum, & per peccatū
mors. Quum autem aspicit cælestē illum Adā Christum,
per ipsius iustificationem mors delet & uita reuocatur æ-
terna. Quidam uolunt hoc sic intelligere, quando Adam
in paradiso geminā habuit uitā, gratiæ & naturæ, p pccm
amissa uita gratiæ, solā hāc seruauit uitā naturæ (illud nō
uacat mæandris. posset q̄s hic q̄tuor aut quinque elegantes

sermone formare de statu innocētiæ & paradisi ex sanctis patribus, quorū in hac re sententias diligēter collegit antistes Parrhisius in secundo Sententiarum.) Dices, iam supra dictum est, latrones hos dæmones esse, atqui dæmones non recesserunt ab homine postquam uulneratus est in paradiso, sed misere adeo sauciāunt illum per peccatum, ut non temere ideo mundum uniuersum, aquis diluuij perdiderit deus. deinde totū terrarum orbem ita infecerunt & contamināunt idolis, ut etiam principem mundi diabolum dixerit Christus. Respondet Beda & dicit recessisse latrones, nō quod desierint insidiari homini, cuius perniciem & damnationem modis omnibus procurant adeo, ut insidiator iste ne ipsi quidem Christo pepererit, sed tenrāt etiam tertio, ut recte nos uigilare iusserit Petrus, eo quod aduersarius noster diabolus circumeat ut leo rugiens, & quærat quem deuoret: sed ideo tantum dicit recessisse illos ab eo, quod fraudes suæ imposturæ celarunt, iamq; diabolus hominem non ut olim in paradiso manifeste, sed ex occultis insidijs adoritur. unde & Dauid inquit: fedit in insidijs cum diuitibus in occultis, ut interficiat innocentem. Sic infelix iste Adam quum in honore esset non intellexit, descendit de Ierusalem ex paradiso, incidit in dæmones, qui tētauerunt eum per Euam, cuius uocem quā maluit audire quā dei, priuatus omni honore, comparatus est iumentis insipientibus & similis factus est illis, adeo uulneratus est in omnibus uiribus suis, quibus antea bruta omnia superabar. Conquestus hoc iam olim est Iob de diabolo, dicens: Spoliauit me gloria mea, & abstulit coronam de capite meo, destruxit me undiq; & pereō.

3. ¶ Accidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem uia, & uiso illo præteriuit, præterijt inquam sacerdos & ipse frater suus Moyses. per sacerdotem autem & Leuitam tempora duo designantur, alterum legis per quam sacerdotiū & sacrificium instituta erant, alterum prophetarum. & sacerdos autem & Leuita præteriuit uterque, quoniam nec per legem, neque per prophetas aboleri potuit peccatum Adæ. Ira etiam Theophylactus intelligit, adducens in hoc locum Pauli: Impossibile est sanguine taurorū

Matth. 4

1. Petri. 5.

Psalm. 9

Job. 19

Augu. cōtra Pelagianos.

Theophyl. Heb. 9. 10.

& hircorum auferri peccata. Venit quidem ad ægrotum
lex, sed iuuare eum nil potuit. misera etiam est sui, &
orauit deum ut illum Samaritanum tandem mitteret, q
curare uulnera posset. Sic sacerdotis frater Moyses clama
uit ad dominum: Mitte quem misurus es. quasi diceret, de
me actum est, illicet. Expendit etiam Theophylactus hic
illud quod dicitur, accidit. neq; enim lex de industria & ex
 proposito inuēta est, sed propter humanam fragilitatem
 data, quoniam illa non statim sufficiebat capiendis Chri
 sti sacramentis, sicut id ipsum per longum testatur Paulus
 ad Galatas, tandemq; concludit legem nobis pædagogū
 fuisse in Christo.

¶ Sacerdos descendit eadem uia, quoniam hoc ipsum sa
 cerdotale requirit officiū, ut sacerdotes peccatoribus sub
 ueniant, sedulamq; eorum curam gerant. Verum lex, sacer
 dotes & propheta ægrotantis potuerunt uulnera mun
 di prodere, sed curare non potuerunt. Quamuis ad literā
 arguitur hic durities ipsorum, qui interdum miseros pec
 catores grauitè tractant. Et quid mirum? quando à mini
 mo usq; ad maximum omnes student auaritiæ, & à pphe
 ta usq; ad sacerdotem infideles sunt omnes, deplorāte id
 ipsum etiam Ieremia, & dicente: Filia populi mei crude
 lis quasi struthio in deserto. struthio autem, ut ait Iob, de
 relinquit oua sua in terra, & obliuiscitur quod pes concul
 cet ea, aut bestia agri conterat. duratur ad filios suos quasi
 non sint sui. Væ uæ istis, qui non ex officio suo animas ab
 soluunt à peccatis, sed hoc pusillum tantum quod diabo
 lo reliquum mansit, bonum temporale appetunt. Væ ite
 rum magistratibus, quibus prouinciæ & ciuitates regen
 de traditæ sunt, qui quum iusticiam administrare debeat,
 etiam prædari insuper cupiunt, & residuum bonorum te
 poralium sibi attrahere, qui singulos annos nouum inue
 niunt aucupium, nōnunquam etiam uenatum integrum
 quo spoliant miseros. Væ iudicibus & rabulis forensibus,
 qui linguam tantum in foro uenalem circumferunt, ut p
 dentur, ut rapiant. Væ medicis, quibus solis, ut ait ille, im
 pune licet occidere homines, nō inquam qui non curant
 neq; student sanare alios, sed quorumcūq; etiam uitæ dif
 fendio sua sibi ut comparent commoda, de quibus dicit

Jeremi. 6

Thren. 4

Job. 39

Micheas: Contra dominum est manus eorum, & concupi-
erunt agros, & uolenter tulerunt & rapuerunt domos.
Isaias quoq; ait: Qui iustificatis impium pro muneribus,
& iustitiam iusti aufertis ab eo.

4. Sequitur: Samaritanus autem quidam iter faci-
ens, uenit secus eum. & uidens eum, misericordia motus
est. Samaritani quo ad literam Chutæi erant, collocati in
Iudæam, postquam decem tribus ductæ essent à rege Sal-
manasar in Assyriam, autòre Iosepho, antea quàm illi ex
Iudæa in Babylone abducerentur. Quum autem leones
eos tanquam ethnicos & gentiles lanarent, misit eis rex
sacerdotem Hebræum, qui ipsos legem Moysi doceret, un-
de & legem Moysi receperunt qdem, sed tamen idola sua
derelinquere noluerunt, simulq; deum Iudæorum colue-
runt. hinc illæ lachrymæ, hinc istud Iudæorum odium et
ga Samaritanos. Vos autem nomen hoc nolite exhorre-
scere, cuius uirtus & energia in ipsa uocabuli etymolo-
gia later. Samaritanus enim idein quod custos est, deducta
uoce à uerbo schomar, hoc est, custodiuit. Sed quis alius cu-
stos noster, nisi is de quo scriptum est, Quia custodit par-
tulos dominus? Quoniam sicut alium intelligere debes
Iudæum secundum literam, & alium spū (ille enim cæ-
cus & obstinatus est, qui nec legem Moysi recipere, neque
in Christum credere uoluit: hic autem quilibet est, qui do-
minum confitetur & laudat, quomodo nos Christiani om-
nes Iudæi esse debemus) ita hic quoq; Samaritanum in-
tellige nō litera, sed spū, & uidebis Christum uerum esse
Samaritanum. At eo modo quo Iudæi accipiebant, Sama-
ritanus multum ab illo distabat in gente, sed non item in
misericordia. quandoquidem & Christus lōge à nobis po-
situs ratione naturæ diuinæ, factus est proximus in mise-
ricordia, ideoq; & descendit de cælo, & eandem hanc ui-
am ingressus est, habitu toto inuētus ut homo. Vere autē
Samaritanus erat, quia nō dormitat neq; dormit, qui cu-
stodit Israel. Quæ etiam causa est, quod calumniantibus
illum Iudæis Samaritanum esse, id ipsum nō negauit, sciēs
custodem se esse infirmoꝝ: sed dæmonium habere se, id
uero uel maxime negauit.

¶ Nam porro supra diximus, scribam hunc multum fa-

Dich. 22

Isaie. 5

21. 9. c. 15

21. 11. c. 2

3. seu. 4

4. Reg. 17

Ambrosio.

Psal. 124

Augustin.

Philip. 6

- stuoſe ſuperbiſſe in lege, at hic in parabola dominus pro-
ponit ei, quomodo ſacerdos & Leuita imbecilliores fue-
Matth. 17. rint, quàm qui perfectionem legis adſequerentur. **CHRIS-**
TVS autem is erat, qui uenerat implere legem, quod an-
te eum nemo potuit, ideoque merito erubiſſe debebat
hic ſcriba, qui tantum ſibi adrogabat. Atque **CHRISTVS**
illud cuſtodiz ſuz munus ſe tutatum eſſe, ipſe teſtat apud
Johan. 17 Iohannem, inquiring: Pater, quos dedidi mihi, ſeruauit, &
non periit ex eis quiſquam, niſi filius perditionis. Atque
hoc modo omnes nos confiteri debemus **Chriſtum** Sama-
ritanum eſſe & cuſtodem omnium credentium, quoniam
Psalm. 126 Niſi dominus ille cuſtodierit ciuitatem, fruſtra uigilat &
cuſtodit eam. Væ miſero homini huic, qui cuſtode illo
caret. o felicem autem, cuius cuſtos **CHRISTVS** eſt, quam-
uis etiam quiſq; ſuus eſſe debeat cuſtos, & ſeipſum animamq;
Malach. 2 ſuam ſolicite cuſtodire. Caterum an Samaritanus noſter
CHRISTVS fuerit uiator aut non, & quomodo, quum hic
dicatur, Iter faciens, uenit ſecus eum, reſquo contentio-
nibus ſcholasticis. ſed tamen quo pacto uenerit ad uulne-
Auguſtin. ratum, facile collectu eſt, quoniam uenit in ſimilitudine
Roma. 8. carnis peccati, & miſericordia morus eſt ſuper eum, quem
hic miſere uidebat faucium, nec quicq; opis ſibi ferre ua-
lentem, nec quid mereri potentem, ſed omne auxilium il-
lius pendeat à domino.
5. ¶ Appropinquans alligauit uulnera eius, inſundens
oleum & uinum. Multa dici poſſent, ſi luberet uagari per
ſymbola, ſed hoc nimis amplum eſt, ideoq; ſumma tan-
tum prælibemus. Quis unquam dominum uidit benigni-
orem magisq; miſericordem, quàm deum noſtrum erga
ſuos etiam inimicos peccatores? Appropinquauit ille ad
uulneratum. Ecce, quæ natio tam grandis ut habeat de-
Dent. 4 um ſibi appropinquantem, ut nos, dummodo ipſi appro-
pinquauerimus, dicente apoſtolo: Appropinquate deo,
Jacobi. 4 & appropinquabit uobis? O te miſerum & infelicem ho-
minem, expende ſaltem quis tu ſis, quis dominus ille tu-
us, ut adcedat ad te, tandem cor tuum aperi ad tantam mi-
ſericordiam quæ hic uenit ad te. Vulnera porro alligat
dominus, dum malitiæ obſtat, ne ulterius peccet homo. un-
Auguſtin. de & Auguſtinus ait: Alligatio uulnerū eſt cohibitiō pec-

catorum. **Quæres autem:** Quomodo nos à peccatis im-
 diuerit Christus? sane per sua illa mandata, per consilia
 euangelica, dicente **Dauid:** Qui sanat contritos corde, &
 alligat contritiones eorum. Ita facile licet intelligere, **Psalm. 146**
 quomodo spiritualiter infuderit uinū & oleum. sicut em
 uulnera alligat præceptis suis, quibus ad pœnitentiam &
 uitæ puritatem nos prouocat, ita deinceps oleum gratiæ **Beda.**
 suæ infundit, dona spiritus sancti, suauitatem sacramento-
 rum, peccatorum remissionem, & promissionem gaudi-
 orum uitæ æternæ, iuxta illud **Dauid:** Oleo sancto meo **Psalm. 88.**
 unxi te. An non hoc oleum salutare est, quum dicit, **Ap.**
 propinquat regnum cælorum? Huc accedit & pertinet **Psalm. 59**
 uinum quoque, quod acore suo impuritatem emundat
 uulnerum si eo lauentur, testante idipsum etiam **Dauid,**
 quum ait: Potasti nos uino compunctionis. Vis huius ui-
 ni haustu gustare? en tibi hoc quod dicit dominus: Omnis **Matth. 3**
 arbor quæ non fert fructum bonū, excidetur & in ignem
 mittetur, sicut enim peccatores dominus benigne reso-
 uet oleo remissionis peccatorum, ita pungit acerbitate
 uini, dum rigorem iudicij ostendit. Et talem se quilibet
 prælatus atque parochus exhibeat, uulnera peccatorum
 constringat, infundat oleum, hoc est, ijs qui pusillanimes
 sunt, misericordiam & gratiam dei proponat, duris autē
 & contumacibus, q̄s citius frangas quàm flectas, infundat
 uinū, minetur iustitiam & iudicium dei, atq; suppliciorū
 grauitatem, siquidem & equus q̄ palpationibus non urge-
 tur ut ear, uerberibus & calcaribus subditis impellendus **Gregori.**
 est. Et hoc est quod ait **Gregorius.**

6. ¶ **U**terius imponens illum in iumentum suum, du-
 xit in stabulum, & curam eius egit. Samaritani nostri iu- **Augustin.**
 mentum, ipsa caro eius est, quam pro nobis assumpsit, pec-
 cata nostra portās in corpore suo super lignum, quatenus **1. Petri. 2**
 nos mortui peccatis, deinceps iustitię uiuamus, cuius liuo-
 re sanati sumus. Nanque & nos per pct̄m facti sumus ut iu- **Psalm. 72**
 menta, iuxta illud **Dauidicū:** Ut iumentum factus sum an- **Psalm. 31**
 te te. Ne autem maneremus ut equus & mulus, in quibus
 nō est intellectus, carnem ille nostram fragilem suscepit, **Ambrosi.**
 ut nostram fragilitatem tolleret. Vel etiā dici potest, uul-
 neratū suo imposuisse iumento, q̄ nos quoque membra

- 1. Corin. 12** fecit corporis sui. sicq; in corpore suo nos ascendemus in
Theoph. cælum, & nullo alto mō, quoniam nemo ascendit in cæ-
 lum, nisi qui descendit de cælo, filius hominis qui est in cæ-
Johan. 3 lo. Quando igitur ille nos inserit corpori suo, recte de eo
 dicitur, quod uulneratum & faucium hominem iumento
 suo imposuerit.
- In lib. hy-** ¶ **Augustinus** adhuc alio sensu uult iumentum hoc
pognos. ipsum esse gratiam dei, neq; id latinę linguę male conue-
 nit, in qua iumenta à iuuando dicta credimus, eo quòd ho-
 minem illiusque adiuuēt labores, cuiusmodi sunt, equus,
 mulus, asinus, bos, bubalus &c. quando igitur gratia dei
 animam nostram adiuuat in operibus bonis, siquidem si-
 ne ea facere nil possumus, recte, quum iumento illi impo-
Theoph. nimur, pristina restitui mur sanitati. **Adaxit** eum se-
Ambrosi. cum in diuerforium, hoc est, in ecclesiam catholicam, in
 quam omnes pœnitentes deducuntur, ut ibi sarcinam ab-
 iiciant peccatorum, qui que in uia scelerum defatigati su-
Psalm. 112 erant, ibi rursus refocillentur ab eo, qui suscitatur de terra
 inopem, & de stercore erigit pauperem. Ita ergo **Chri-**
stus in ecclesia curam egit hominis. Altera autem die pro-
 tulit duos denarios, & dedit stabulario, neque enim Sa-
 maritano huic diu licebat esse in terra, abeundum ei erat
Ambrosi. in cælum unde descēderat, sicut dixit ad discipulos suos:
Johan. 16 Exiui à patre, & ueni in mundum. iterum relinquo mun-
Theoph. dum, & uado ad patrem. Denarij porro duo, duo sunt te-
 stamenta quę dominus reliquit apostolis, doctoribus &
 animarum curatoribus, siquidem utrunque testamentum
 imaginem dei gestat & habet. Stabulario uero dixit Sa-
 maritanus: Curam illius habe, & quodcunq; superero-
 gaueris, ego quum rediero, reddam tibi. Vere multa de
Theoph. suo exposuerunt & erogarunt apostoli, plurimum labo-
 rauerunt, omnem doctrinam dispergendo multum su-
 pererogauerunt doctores, utrunque illud testamentum
 sedulo interpretati, unde & mercedem recipient æter-
 nam, quando ille rediturus est in altero aduentu, tunc
Matth. 25 enim dicent: Domine, ecce duos illos denarios dedisti mi-
 hi, eos exposui, & ulterius adhuc alios duos supereroga-
Augustin. ui. Et tunc respondebit dominus: Euge serue bone & fi-
 delis, intra in gaudium domini tui. **Augustinus** hic per

denarios duos, utrunq; intelligit præceptum charitatis quod acceperunt à spiritu sancto, euangelium adnunciatur uniuerso mundo.

¶ Et hic iam uideant scioli isti ne ochristiani, quòd non utriusque tantum testamenti scripta nobis seruàda sunt, sed ea insuper quoque, quæ sancti dei apostoli & doctores erogârunt, quibus præterea largam retribuet dominus mercedem. Quid quòd commissionem illi habent à domino sibi traditam supererogandi ultra duo testamenta, & dominus **CHRISTVS** quando redibit in cuiusque hominis morte, uel etiam in die nouissima redditurus est eis mercedem retributionis æternæ? Ad hæc omnia iam tandem quærit dominus legisperitū, dicens: Quis horum trium uiderit tibi fuisse proximus illi qui incidit in latrones? At ipse dixit: Qui fecit misericordiam in illum, peregrinus scilicet iste & alienigena, nam noti illius transierant relicto eo, sed qui adproximârat ei opere misericordiæ illi impenso, hic proximus ipsius fuit, iuxta illud **Solomonis**: Vir misericors bene facit animæ suæ, qui autem crudelis est, proijcit à se proximum suum. Concludens itaque dominus ait: Vade, & tu fac similiter. Ita & ego dico uobis dilectissimi in **Christo** fratres: Ite, & facite similiter. Estote misericordes, & erit uobis quoque deus propitius, qui retribuet uobis omnia opera uestra bona in uita sempiterna, quam omnibus nobis concedere dignetur, qui est in secula benedictus,
Amen.

DOMINICA DE

CIMA QVINTA POST FESTVM

Pentecostes, euangelium

Luce decimo

septimo.

NN